

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 143

**Bénéficiaire(s) :** Troarn, Saint-Martin (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1234

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Coutumes du marais de Troarn

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, p. 282-283, n. 47.
- b. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, Preuves, n° XVIIIbis, p. 393-394.

Texte établi d'après b

De mariscis et antiquis consuetudinibus. — Iste sunt antique consuetudines de marisco abbatis et monachorum Troarni, quod durat usque ad portum AVECIN et usque ad routam Aufare, ubi comes Rogerus, fundator eorum, pluribus nobilibus presentibus, projecit filium suum Robertum de Beslesme, vestitum pellicio griso, in aquam, in testimonium et memoriam quod dominatio abbatis et monachorum usque illuc se extendebat. Et nullus potest in eodem marisco, sine assensu et voluntate abbatis et monachorum, secare herbam, vel facere aliquam piscariam, nisi eas que ibi antiquitus facte fuerunt et possesse, nec habere aliquam communiam, nisi dederit de consuetudine annuatim iijor denarios et unam gallinam et decem ova vel alias consuetudines, secundum quod in diversis locis fuerunt usitate, exceptis hominibus dicti abbatis et hominibus Willelmi de Rupetra et Nicholai Malemains, qui habent communiam in marisco abbatis et monachorum extra defensa, quoniam homines dicti abbatis debent habere similiter communiam in mariscis predictorum militum, exceptis eorum defensis. Et sciendum est quod abbas et monachi debent habere singulis annis, semel in anno, quando voluerint, de qualibet piscaria in toto marisco suo totam capturam prime levature unius noctis, ita quod homines quorum sunt piscarie non accedent ad piscarias suas ea nocte que ex parte abbatis eis denunciata fuerit, donec servientes ejusdem abbatis et monachorum primam levaturam habuerint sine aliqua contradictione. Item nemo potest nec debet piscari in omnibus mariscis, cujuscunque sint, cum vervellis spissis vel anguillariis, neque cum virgatis caudatis, neque cum tramaillis, nisi de licentia domini abbatis, excepto domino de Han, solummodo in aqua sua que vocatur Mara. Si quis autem boucellas in marisco domini abbatis et monachorum posuerit, hoc erit de assensu eorum vel prepositi sui Troarnensis, cui singuli tendentes boucellas reddent annuatim xij denarios. Preterea, nemo potest facere calceiam in supradictis mariscis, neque secare herbam falce, nec tendere retia volantia nec araneas neque laqueos ad capiendos cignos, nisi per abbatem supradictum. Cursus aquarum debent esse ita lati et liberi quod flecta vel batellum monachorum possit ire expedite et sine obstaculo usque ad Clevillam et usque ad Han et ad falesiam Sancti Sansonis, pro adducendo lapides ad sustinendam calceiam inter Troarnum et Sanctum Sansonem, quociens opus fuerit. Insuper, custodes cignorum debent ire et possunt per omnes mariscos, cujuscunque sint, et reducere eos ad mariscum predictorum monachorum, ubicumque eos invenerint, sine contradictione aliqua. Nullus potest habere retia in piscariis suis, nec habere piscarias, nisi cum penchone et gemella et sine banqueto, nisi in pancis in quibus fuerunt ab antiquo ;

nec debet aliquis in predictis mariscis aliquid edificare, plantare vel alio modo sibi appropriare, nisi de assensu et voluntate abbatis et predictorum monachorum, ad quos jura et consuetudines noscuntur pertinere, ex dono et largitione predicti Rogeri comitis a fundatione Sancti Martini Troarni. Et sciendum est quod nullus debet habere cignos in mariscis totis preter abbas et monachi Troarnenses.